lioribus operibus, servari possint sine culpa, etiamsi possint absque culpa non servari. Et ratio dubitandi est, quia D. Thomas, quem alii imitantur, in d. art. 7, ad secundum, dicit, quod licet peccet sic jurans, postea vero potest, si velit, juramentum servare, quamvis non teneatur. Ratione etiam videtur clare probari, quia sermo est de omissione actus non præcepti, sed supererogationis, qui actus sine peccato omitti potest per se loquendo; sed juramentum sicut non imposuit necessitatem, ita neque abstulit hanc libertatem; ergo. In contrarium vero est, quia ejusdem malitiæ esse videtur iniquum juramentum facere, et iniquum juramentum observare, quia est veluti perseverare in eadem iniquitate, illam voluntarie continuando; item quia illud est virtualiter facere juramentum vinculum iniquitatis.

24. *Dubii resolutio.* — Ad hoc breviter dicendum est, duobus modis posse intelligi, servari tale juramentum, scilicet, materialiter et formaliter. Materialiter voco, quando qui juravit, persistit in eo, quod juravit, et vult illud non facere, non quia teneatur, nec quasi coactus juramento, sed solum quia non tenetur tale opus facere. Formaliter autem voco persistere in illo proposito ex vi juramenti, et quasi illo coactus. Priori ergo modo locutus est D. Thomas, et sic manifestum est licitum esse ei, qui juravit non ingredi religionem, non ingredi, quia propter juramentum non cogitur intrare, et idem est de similibus. Posteriori autem modo sine dubio esset inordinatum et culpabile, ut probat ratio facta: nam contra reverentiam juramenti est, illius prætextu et occasione opus consilii omittere. Item obligatio talis juramenti iniqua est, ut loquitur D. Thomas, Quodlibeto quinto, art. 27, quia per illam obligatur quis ad ponendum obicem gratiæ et inspirationi Spiritus Sancti, quod est valde inordinatum; ergo operari etiam ex tali obligatione malum est, et peccatum. Atque ita quotiescumque juramentum non obligat ex capacitate materiæ, iniquum est formaliter in sensu dicto servare juramentum; et hoc modo posset intelligi illa regula jurium, tunc juramentum non obligare, quando observatum vergeret in animæ detrimentum.

CAPUT XVIII.

UTRUM JURAMENTUM IN MATERIA PER LEGEM DIVINAM POSITIVAM PROHIBITA OBLIGATIONEM INDUCAT?

1. Hæc quæstio locum habet tam in actione, quam in omissione a Deo prohibita, et ideo proponitur, quia licet ex dictis constet, perseverante malitia, non posse hæc cadere sub obligationem juramenti, nihilominus dubitari potest an, interveniente juramento, separetur malitia a tali materia, et ideo possit juramentum obligare. Nam in hoc sensu videtur dixisse Gratian., 22, q. 4, § ultimo, juramentum contra præceptum divinum aliquando obligare, saltem interveniente ignorantia facti circa id quod juratur. Quod probat argumento sumpto ex Josue 9, ubi Josue juravit fœdus cum Gabaonitis, et se illo juramento obligari sensit, quamvis tale juramentum contra præceptum Domini esset, Deuteronom. 7: *Non inibis cum eis fœdus;* et præterea tale juramentum fuisse validum, colligitur ex 2 Reg. 21, ubi dicitur Deus afflixisse fame populum suum propter Saul, quia occidit Gabaonitas contra fœdus illis juratum; ergo signum est peccasse Saul frangendo juratam promissionem; ergo obligavit illud juramentum, etiamsi fuerit contra positivum præceptum Dei. Secundo, quod difficilius est, hoc confirmat Gratianus, quia qui post votum castitatis jurat alicui se habiturum eam in uxorem, obligatur juramento, et tamen illud est de re prohibita a Deo. Ergo. Majorem dicit constare auctoritate Augustini, quam non adducit, nec locum designat. Minorem etiam supponit, quia illud juramentum est illicitum ratione præcedentis voti. Et licet servare votum sit de jure naturali, tamen quia illa obligatio introducitur media voluntate humana, videtur de illa judicare, sicut de obligatione legis positivæ. Et videtur etiam supponere majorem esse obligationem juramenti quam voti, et ideo vincere illam.

2. *Reprobatur sententia Gratiani.* — *Juramentum factum contra præceptum vel prohibitionem juris divini positivi non obligat.*—Hæc sententia Gratiani sine dubio falsa est, et a Glossa ibi, et ab omnibus reprobata. Dico ergo juramentum factum contra præceptum, vel prohibitionem juris divini positivi, non obligare. Est assertio certa, et patet facile exemplis, ut si quis juraret nunquam confiteri, vel nunquam communicare. Quod si quis dicat, hæc similia, etiam secluso præcepto, non obligare, quia vergunt in perniciem animæ, tamen nudum præceptum ad hoc non sufficere, contra hanc fugam est optimum exemplum, si aliquis habens conscientiam peccati mortalis, de quo non potest hodie confiteri, nihilominus juret se hodie communicaturum, sine dubio non obligabitur juramento, quia sic communicare sine alia necessitate, et non præmissa confessione, contra jus divinum est; et similia exempla possunt facile adduci, sed non est necesse ea multiplicare in re clara. Ratio autem est, quia, supposito tali divino jure, talis actio vel omissio est simpliciter mala; neque est in potestate hominis separare ab illa malitiam, quia non est in potestate ejus tollere vel suspendere divinum jus; ergo juramentum de re sic prohibita est juramentum de peccato; ergo non magis obligat quam juramentum de quacumque re intrinsece mala. Denique illud juramentum est in præjudicium divini juris, potestatis, ac mandati; quomodo ergo potest obligare?

3. *Exponitur locus Josue.* — *Duplex ratio nullitatis considerari potest in juramento Josue.*—Solum oportet explicare juramentum factum a Josue, in quo duplex ratio nullitatis considerari potest: una est ex parte doli et deceptionis Gabaonitarum, et probabilis ignorantiæ Josuæ, et principum populi Dei; aliud caput est incapacitas materiæ, quia juramentum illud fuit de re per Deum prohibita. Priori ergo titulo videtur non potuisse obligare illud juramentum, quia fuit involuntarium; nam ignorantia causat involuntarium. Illa autem fuit ignorantia valde apparens et probabilis, ut ex circumstantiis, quæ in Scriptura narrantur, colligitur. Deinde orta fuit ex positiva deceptione paciscentium, quæ est injuriosa, et sufficit reddere pactum nullum, et consequenter etiam juramentum illi adjunctum. Denique fuit ignorantia in conditione personarum, cum quibus fœdus feriebatur, valde essentiali, quia necessaria ad fœderis honestatem; error autem circa talem conditionem personæ sufficit invalidare contractum. Quibus omnibus accedit quod, licet Josue et principes propter ignorantiam non peccaverint sic jurando, nihilominus juramentum ipsum in se fuit de re illicita; ergo etiam hac ratione servari non debuit, et hoc est aliud caput nullitatis.

4. *Variæ sententiæ circa idem juramentum referuntur.*—*Prima sententia Gratiani.*—Circa hoc juramentum variæ sunt opiniones. Prima affirmat juramentum illud fuisse validum, et per se obligatorium. Hanc defendit Gratianus, sed male et improbabiliter; vult enim debuisse servari, quamvis esset de re illicita, quia, quando factum est ex ignorantia facti, licite factum est. Sed hoc nihil juvat, ut recte notavit Abul., Josue 9, q. 29, quia licet ignorantia, si perseveraret, potuisset facere ut ex conscientia erronea obligaret juramentum, tamen ablata ignorantia non poterat durare obligatio juramenti; quia jam cessabat conscientia erronea, et constabat rem juratam non essse licitam, quia præcedens ignorantia non abstulit in re ipsa obligationem legis Dei ergo ablata ignorantia, lex divina obligabat; ergo jam non poterat obligare juramentum ad agendum contra illam.

5. *Alius modus defendendi juramentum hoc fuisse validum.*—Alio ergo modo defendi potest juramentum illud fuisse validum, negando fuisse de re illicita, aut contraria legi Dei. Quæ est Scholasticorum opinio, quos infra referam, et eam defendit Lyran., in Josue, et indicat Ambrosius, l. 3 Officiorum, Josue c. 10, dicens: *Jesus pacem, quam dederat, revocandam non censuit, quia firmata erat sacramenti religione, ne, dum alienam perfidiam arguit, suam fidem solveret.* Nec ab eadem sententia est alienus Augustinus, q. 13 in Josue, ubi eamdem quæstionem tractat, et easdem ponit rationes dubitandi, et nihilominus ait, Deo non displicuisse observationem illius juramenti, tum quia quamvis Gabaonitæ Hebræos fefellissent, tamen pro sua salute, et Deum timendo in populo ejus id fecerunt; tum etiam quia ad clementiam sententiæ Josue flectebatur. Et in q. 14 addit, quod nisi placuisset Deo illa juratio, ipse illuminasset Josue, etiamsi non fuisset ab eo interrogatus, sicut statim in c. 10, in simili casu legitur. Et ibi ait credidisse Gabaonitas Deo, promissionibus, seu comminationibus ejus, et hanc eorum fidem per illud fœdus remunerasse.

6. Quod autem illud juramentum non fuerit contra legem Dei, colligit Lyran., ex illis verbis Josue 11: *Non fuit civitas, quæ se traderet filiis Israel, præter Hevæum, qui habitabat in Gabaon, omnes enim bellando cepit. Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, et pugnarent contra Israel, et caderent, et non mererentur ullam clementiam, ac perirent, sicut præceperat Deus Moysi.* In quibus verbis declarari videtur

præceptum datum Moysi de perdendis illis gentibus, et non ineundo fœdere cum illis, scilicet, intelligendum esse de illis gentibus perseverantibus in sua infidelitate et duritia, in qua tunc erant, et resistentibus populo Dei, non tamen fuisse contra illud præceptum, aliquam clementiam concedere iis, qui conversi ad Deum, et moti ejus fide, subjecti et humiles fœdus postulabant. Et confirmari hoc potest, quia etiam erat præceptum Dei non accipere uxorem de filiabus alienigenis, et nihilominus si mulier deserebat patrios mores, et convertebatur ad fidem, accipi poterat in uxorem.

7. *Objectio Abulensis.*—Sed objicit Abulensis quia, si hoc verum esset, non solum Josue obligaretur illo juramento, sed etiam male fecisset redigendo Gabaonitas in servitutem, quia nullum habebat jus ad eos affligendos illo modo, si non erant comprehensi sub sententia Dei de puniendis et perdendis illis gentibus. Item argumentatur, quia verba præcepti erant absoluta et universalia, ut patet Exod. 34, et Deuteron. 7; ergo non licebat Josue illo modo ea limitare, vel exceptionem addere. Præterea quia licet fortasse Deus decrevisset parcere Gabaonitis, hoc non constabat ipsi Josue, qui os Domini non consuluerat ad faciendum juramentum, neque etiam consuluit post intellectam fraudem, ad observandum illud. Denique argumentari possumus, quia si illa exceptio vera esset, etiamsi non præcessisset juramentum, nec deceptio, et Gabaonitæ aperte et sincere venissent petendo pacem, et se submittendo Deo, et populo ejus, potuissent, imo et debuissent non occidi, quia præceptum Dei ad hoc non obligabat, si vera est dicta ejus interpretatio, et alio jure occidi non poterant. Consequens autem falsum esse colligitur ex eodem Josue 9. Nam cum vellet populus contra eos bellum movere, responderunt Principes: *Juravimus eis in nomine Dei Israel, et ideo non possumus eos contingere;* ergo secluso juramento nullam prætenderent excusationem.

8. *Solutio objectionum, et quomodo Josue se habuit circa hoc juramentum.*—Ad hæc imprimis respondere possumus, Josue in toto illo negotio motum fuisse peculiari inspiratione divina, et ex illa sic legem intellexisse, non per modum peculiaris dispensationis, sed per modum legitimæ interpretationis, concurrentibus simul aliis principibus, inter quos præcipue comprehendi sacerdotes, et maxime Summum, manifestum est. Potestque illa interpretatio confirmari ex verbis Deuteron. 20: *Si quando accesseris ad expugnandam civitatem, offeres ei primum pacem; si receperit et aperuerit tibi portas, cunctus populus, qui in ea est, salvabitur, et serviet tibi sub tributo.* Quæ verba non fuerunt dicta de illis vicinis civitatibus, sed de aliis, quæ procul valde erant, ut ibidem explicatur, ideoque possunt in contrarium retorqueri; tamen quia Gabaonitæ prævenerunt populum Dei, et animo ac subjectione se gesserunt eo modo, quem Deus a distantibus civitatibus postulabat, ideo judicari potuerunt exempti ab illo rigore sententiæ latæ contra propinquas civitates, et juxta legem distantium civitatum fuisse tractandos.

9. Et ita ad primam replicam respondetur, merito Gabaonitas fuisse redactos in servitutem, quia hoc ipsum continebatur in lege pro his populis quibus vita concedebatur. Potuitque hæc servitus gravior Gabaonitis imponi; tum quia erant de propinquis civitatibus, quæ dignæ erant majori supplicio; tum etiam quia per deceptionem et fraudem veniam extorserant. Tum denique quia, licet juramentum obligaret ad remittendam pœnam voti, non vero ad non commutandam illam in aliam leviorem; id ergo facere potuit Josue per potestatem sibi a Deo concessam ad puniendas gentes illas. Ad secundam jam responsum est, credibile esse interpretationem illam non fuisse factam sine inspiratione divina, et potuisse etiam Josue illam colligere per quamdam æquiparationem ex alia lege Dei. Item ex prohibitione ipsa divina, et ratione ejus poterat aliquo modo illa interpretatio colligi; sic enim dicitur Exod. 34: *Ne ineas pactum cum hominibus illarum regionum, ne cum fornicati fuerint cum diis suis, et adoraverint simulachra eorum, vocet te quispiam, ut comedas de immolatis.* Deuteron. autem 7 dicitur: *Non inibis cum eis fœdus, nec misereberis earum.* In prædicto autem casu non potest dici Josue misertum fuisse Gabaonitarum, tum quia non ut eis parceret, sed ut juramentum impleret, mortem remisit; tum etiam quia satis graviter eos punivit. Et præterea, quia cum jam Gabaonitæ viderentur conversi ad Deum per fidem, teste Augustino, d. q. 14, consequenter cessabat in eis ratio legis; unde Augustinus supra, in quæst. 13, eos reputat tanquam de populo Dei, dicens, Deum vindicasse Gabaonitas de domo Saul, *tanquam populi sui homines.* Denique hanc illius legis interpretationem secutum fuisse Josue, et in ea

non errasse sentit D. Thomas, in 3, d. 39, q. 1, art. 3, quæst. 1, ad 1, dicens, *juramentum Josue non fuisse de eo quod secundum se esset illicitum, sed de eo quod factum erat illicitum, quia prohibitum, unde in hoc sufficiebat intentionem servare probibentis.* Et idem tenet Bonav. ibi dicens, præceptum Dei intelligendum fuisse quantum ad eos, qui erant incorrigibiles. Idem Richard., art. 2, q. 3, ad 1; et ita est responsum ad tertiam. Ad ultimam vero probabiliter concedi potest, quod licet non intervenisset juramentum, potuisset licite Josue commutare pœnam mortis in pœnam servitutis, si homines illi voluntariam subjectionem et correctionem ostenderent, quamvis ad sedandum populum, et rationem illi reddendam, facilius visum fuerit, obligationem juramenti allegare.

10. *Probabile esse juramentum Josue obligationem induxisse.* — Supposita autem capacitate materiæ illius juramenti, quia non erat mala, nec prohibita secundum veram intelligentiam legis, non debuit prætermitti observantia juramenti propter artificium Gabaonitarum. Primo, quia licet per fraudem illam non potuerint obligare Israelitas in vi pacti, et promissionis humanæ, nihilominus quod postulabant, bonum et justum erat, et ideo juramentum de illo præstitum, tanquam per se stans obligare potuit. Secundo, quia illa deceptio non fuit in re substantiali, sed tantum in modo accidentali artificiose invento ad majorem securitatem personarum, et majorem facilitatem obtinendi veniam. Declaratur hoc, nam, ut dicebam, eo ipso quod cum fide et subjectione veniam postulabant, juste et sancte eis concedi poterat quoad vitam, commutando mortem naturalem in civilem, qualis est servitus, ut dicit D. Thomas supra, et Glossa, ver. *Decepti*, in § *Sed cum his*, 22, q. 4. Quia ergo illi non falso ostendebant hanc subjectionem et fidem, sed solam distantiam locorum ideo dicimus errorem illum circa personas fuisse accidentalem, et non in conditione substantiali, vel necessaria ad validitatem fœderis juramento confirmati. Tertio, non parum juvat quod Gabaonitæ non decipiebant principes Hebræorum in re illis injuriosa aut nociva, et alioqui illud fingebant propter vitam tuendam, ut notat. de Gloss. Sic ergo valde probabile est juramentum illud obligasse, non obstantibus dictis apparentibus nullitatibus.

11. *Abulensis existimat juramentum a Josue factum secundum se spectatum fuisse de re illicita.*—Nihilominus Abulensis, d. c. 9 Josue, a q. 17, contendit juramentum illud in se spectatum fuisse de re illicita et consequenter non obligasse post intellectam fraudem Gabaonitarum; Israelitas vero illud observasse propter ignorantiam, quia putarunt juramentum esse validum. Quam ignorantiam credit idem auctor, q. 27, fuisse inculpabilem, quia nondum erant satis eruditi circa obligationem juramenti. Quod si objiciatur quia, si hoc ita esset, potuissent postea licite occidi Gabaonitæ, quocumque tempore constaret juramentum non induxisse obligationem, quod constat esse falsum, ex 2 Reg. 21, ad hoc respondet Abulensis, Deum postea confirmasse factum illud Israelitarum, et declarasse voluntatem suam fuisse, ut Gabaonitæ non occiderentur. Fatetur autem Abulensis non habuisse Israelitas de hoc expressam revelationem, quia saltem de illa non constat; dicit tamen habuisse sufficientem inspirationem internam, quam ex variis conjecturis colligit in q. 32. Sed revera non plane satisfacit, tum quia si inspiratio erat de dispensatione quam Deus faciebat in lege sua, et de novo præcepto, quod dabat de non occidendis Gabaonitis, oportebat certius et expressius fieri talem revelationem. Tum etiam quia in dicto loco Regum pro ratione solum redditur, *quia filii Israel juraverant eis;* si autem juramentum a principio fuisset invalidum, nunquam ratione illius durasset obligatio, sed solum ratione novi præcepti divini, sicut alias ipsemet Abulensis argumentatur. Quapropter prior communis responsio solidior videtur.

12. *Cap.* Venerabilem. — *Exponitur Innocentius in casu Gabaonitarum.* — Non omittam autem advertere, quod Innocent. III, in c. *Venerabilem*, § *Idem etiam*, hoc exemplo Gabaonitarum probat, non esse violandum juramentum, eo prætextu quod sit illicitum, donec judicio superioris, ad quem pertinet, declaretur an tale juramentum sit licitum vel illicitum, et consequenter an sit servandum vel non sit servandum. Quod videtur intelligendum, quando non est certum, sed dubium, an tale juramentum sit illicitum; nam si res esset clara et certa, non esset necessaria superioris interpretatio. Necesse est ergo intelligi in casu dubio, hoc enim etiam postulat materia textus, ut Glossa advertit. Sentit ergo Pontifex in casu Gabaonitarum, filios Israel saltem dubitasse an juramentum illud esset licitum, necne, et ideo recte fecisse non temere violando illud. Sed tunc insurgit difficultas,

quomodo inconsulto Domino, a quo tunc expectabantur responsa in similibus dubiis, ausi fuerint definire statuere non occidere Gabaonitas; nam in hoc dubitare poterant an legem violarent, quandoquidem dubitabant an juramentum esset licitum, vel illicitum. Ad quod dicendum est non ita dubitasse, quin definite judicarent factum illud non fuisse contra legem recte intellectam, et supra positam interpretationem legis esse adeo consentaneam intentioni Dei, et verbis legis, ac rationi, ut sine ullo dubio practico (quidquid sit de speculativo) judicaverint observantiam juramenti fuisse licitam, et consequenter necessariam. Aliud Gratiani motivum sequentem postulat quæstionem.

CAPUT XIX.

UTRUM JURAMENTUM FACTUM CONTRA PRIUS VOTUM, JURAMENTUM AUT PROMISSIONEM OBLIGET?

1. *Juramentum factum contra obligationem prioris voti non obligat.* — Hoc dubium annexum est præcedenti, propter secundam probationem Gratiani ibi propositam, quæ potest esse ratio dubitandi in præsenti. Sed nihilominus dico primo: juramentum factum contra obligationem ex priori voto contractam, nullam obligationem inducit. Conclusio est communis, et satis clara. Et ratio generalis esse potest, quia tale juramentum est de re intrinsece mala; ostensum autem est juramentum de tali materia non posse obligare; ergo. Major patet, quia licet illa obligatio contracta sit medio actu voluntatis humanæ, tamen, supposito actu promittendi vel jurandi, obligatio est intrinseca et naturalis, et consequenter fractio illius est intrinsece mala. Subsequens autem juramentum est de agendo contra illam obligationem; est ergo de re intrinsece mala.

2. *Confirmatur conclusio, et distinguuntur duo modi, quibus juramentum potest esse priori voto contrarium.* — Magis autem confirmatur et declaratur hæc assertio distinguendo duos modos, quibus potest juramentum subsequens esse priori voto contrarium. Primo, per solam contradictionem ex parte objecti, ut si vovi jejunium, et postea jurem non jejunare, et in tali juramento per se nota est iniquitas, nam proponere non facere quod vovi, iniquum est; ergo multo magis id jurare. Quin potius tale juramentum non solum ratione voti, sed etiam illo secluso, ratione talis materiæ per se spectatæ erit nullum, juxta principia supra posita. Nam cum illa materia sit capax voti, necesse est ut sit ex melioribus bonis; ergo negatio illius non potest esse materia valida juramenti. Alio modo potest esse juramentum contrarium voto per positivam contrarietatem ex parte materiæ, quæ, scilicet, est de actu contrario, seu repugnante actui promisso per votum, ut in exemplo illo Gratiani, de illo qui jurat ducere aliquam, post votum castitatis. Et tunc certum etiam est, juramentum esse iniquum, et non obligare, ut est definitum in cap. *Rursus*, Qui clerici vel voventes. Et ratio est, quia etiam illud juramentum virtute est de violando voto, quod intrinsece malum est.

3. *Objectio.—Solutio.*—Sed objicitur, quia major est obligatio juramenti quam voti. Respondetur primo negando assumptum in juramento promissorio, ut supra ostensum est. Secundo, consequentia etiam non est bona, eo quod non sunt cætera paria, quando promissio antecedit, et confert jus, ut statim dicemus de promissione humana. Accedit tertio, quod in exemplo adducto, etiamsi juramentum antecessisset, prævalere fortasse posset votum postea subsecutum, de quo infra videbimus in tractatu de Voto, ubi etiam disputabimus an qui, post votum castitatis, matrimonium contraxit, teneatur potius ingredi religionem, quam matrimonium consummare.

4. *Secunda assertio: quando juramenta sunt contraria, si prius fuit de re honesta, non potest posterius contra illud obligare.* — Dico secundo: quando juramenta sunt contraria, et unum præcessit, et aliud subsequitur, tunc, si prius juramentum fuit licitum et honestum, non potest posterius juramentum contra illud obligare. Hæc assertio habetur clare in cap. *Sicut*, de Sponsalibus, ubi omnes Doctores. Et ratio est eadem, quia posterius juramentum est de re intrinsece mala, scilicet, de non observando præstito juramento, sive hoc fiat per hanc formalem negationem, sive per actum contrarium, ut in voto declaratum est. Et confirmatur, quia vis juramenti de se æqualis est; ergo si præcessit juramentum, et obligationem induxit, non potest per subsequens juramentum infirmari. Atque ita recte intelligitur c. *Tua nos*, 1, de Jurejur., ubi ex duobus juramentis posterius dicitur prævalere, quia primum non obligaverat, quia erat juri contrarium, ut ibi notat Glossa, in ver. *Primo præjudicat*; igitur a contrario, si primum juramentum validum fuisset, non potuisset secundum illi præjudicare: nam illa negatio fuit adæquata causa suo modo prioris affirmationis; ergo affirmatio contraria erit causa contrariæ negationis.

5. —Sed contra hanc partem objici potest: nam actus factus contra prius juramentum, licet peccaminose fiat, validus est; ergo etiam juramentum, factum contra aliud prius, validum erit. Consequentia tenet a paritate rationis, vel a fortiori, quia juramentum est nobilior actus, et majorem habens efficaciam, quam alii. Antecedens patet inductione; nam si quis promisit non donare, et donat, licet male agat, valida est donatio, si nihil aliud ei obstet quam juramentum. Item, si quis juravit non revocare procuratorem, et revocavit, valida est revocatio, ut dixit Glos., in capit. ult., de Procuratoribus, in 6, verb. *Revocatus*. Item si quis juravit non vovere inconsulto Petro, et postea vovit, validum est votum. Item si quis juravit sponsalia cum aliqua, et postea contrahat cum alia, validum est matrimonium, c. *Sicut*, de Spons. Imo licet juraverit non contrahere matrimonium, et postea contrahat, factum tenet. Et ratio est, quia juramentum, licet prohibeat actum, non irritat illum, sicut lex prohibens non semper irritat; ergo non obstante juramento valet actus.

6. *Dubium incidens: an facta contra juramentum teneant.*—Hoc dubium petitur in proposita objectione, ad quod breviter respondeo, actum contra prius juramentum factum non irritari ex vi prioris juramenti, ut recte probatum est. Dico autem ex vi prioris juramenti, quia interdum contingit juramentum adjungi prohibitioni actus aliunde irriti ratione alicujus legis, quasi ad confirmandam voluntatem in observatione talis legis: exemplum est in juramento de non alienando fundo dotali, et tunc est speciale dubium, an juramentum posterius factum sit contrarium priori, et habeat vim obligandi, de quo dicam infra, habet enim specialem difficultatem propter legem, quæ simul cum juramento resistit. Hic ergo de sola virtute juramenti tractamus, et sic dicimus quod juramentum de se non irritat actum, etiamsi præstetur de non faciendo tali actu. Hæc est sententia communis Canon., in c. *Intellecto*, de Jurejur., ubi Panor., n. 8, et in c. *Dilecto*, de Præben., n. 18, et ibi alii. Item Sylvest., *Juramentum*, 4, q. 12; Ang., *Juramentum*, 5, n. 15; Selva, de Jur., 3 p., q. 1, n. 44 et 45, ubi varia exempla et auctores allegat. Item Covar., d. c. *Quamvis*, 2 p., § 2, num. 4, verb. *Cæterum*; et bene Azor, tom. 1, lib. 11, c. 6, q. 3, ubi alias opiniones refert, quas omitto, quia nec fundamentum, nec probabilitatem habere videntur. Ratio ergo est, quia valor talis actus ex voluntate operantis pendet, et per legem aliquam non impeditur. Item quia juramentum licet auferat liberam potestatem faciendi, imponendo obligationem, non tamen aufert simpliciter potestatem faciendi vel volendi, et ideo licet actus contra juramentum male fiat, validus esse potest.

7. *Differentia inter legem et juramentum.*—Imo existimo non posse talem irritationem fieri ex vi juramenti, etiamsi jurans velit; nam licet jurando intendat non solum sibi prohibere, sed etiam irritare actum, si fiat, nihilominus, si postea voluntatem mutet volendo actum validum facere, ut matrimonium, donationem, aut quid simile, actus erit validus, licet male fiat. In quo est notanda differentia inter legem et juramentum; nam lex licet sæpe prohibeat non irritando, potest tamen utrumque facere, et facit, si sufficienter declaret; juramentum autem solum id non potest. Ratio differentiæ est, quia irritatio legis provenit a superiori voluntate, quam non potest mutare vel impedire voluntas subditi; juramentum autem provenit a voluntate ipsius jurantis, quia licet jurando liget (ut sic dicam) voluntatem, et potestatem suam, non tamen privat se potestate et dominio suæ voluntatis, et ideo potest semper efficaciter mutare priorem voluntatem, et ita validum facere effectum, quamvis in eo faciendo peccet. Quod si dicas, quamvis juramentum sit a voluntate, obligationem ejus non esse a voluntate, sed a Deo, et a lege naturali, respondetur hinc potius confirmari intentum, quia nulla est lex naturalis, quæ talem actum irritet, licet illum prohibeat. Et ratio est, quia licet facere actum contrarium juramento sit contra obligationem ejus, quod actus ille habeat effectum suum, non est contra juramentum, neque illa est materia in quam per se possit cadere juramentum, et ideo quamvis juramentum prohibeat actum, non irritat illum.

8. *Ostenditur aliud esse actum esse validum, aliud juramentum, quo firmatur actus.* — Neque hoc repugnat assertioni positæ, quia licet actus sit contra juramentum, nihilominus quod talis actus sit validus, neque est, neque esse potest contra juramentum. Secus vero est de posteriori juramento faciendi actum contrarium priori juramento, quia tunc tale juramentum posterius fit irritum ex defectu materiæ, quia per prius juramentum effecta est mala et peccaminosa, ac subinde incapax juramenti. Et ideo non refert quod juramentum